



PROOEMIVM.

Decem sunt, et quod excurrit tempori-
ris, anni, ex quibus popularium
meorum vnus, dum medicam ca-
pessebat lauream, MARTINVS FOERSTER,
vtriusque Silesiae nostrae fontes medicatos
generatim recensuit, et ad summa quaedam
genera, mixtionis adfinitati conuenientia,
reduxit. Cuius haud ignobili exemplo dein
excitati aliquot clarissimi viri, iidemque
populares mei, in eodem perrexerunt tra-
mite, et, ne tot opum, a natura communi
nostrae patriae munifice concessarum, me-
moria denuo obliteraretur, singularibus
commentariolis speciatim varias diuersorum
istorum generum aquas medicatas recensue-
runt.



runt. Eo consilio prodierunt hic foras dissertationes IOSEPHI GEORGII GREVPNERI de fontibus Silesiacis alcalinis; ANTONII WENTZEL de fontibus sulphureis; ALOYSII ALBERTI de fontibus medicatis martialibus simplicibus; IOSEPHI GIESCHE, IOSEPHI NEVGEBAVER, et FRANCISCI KVRTZII de fontibus alcalino-martialibus; tandemque IMMANVELIS GOTTLLOB MENTZELII de acidulis Flinsbergensibus. Ego vero, ex acidularum alcalino-martialium classe superesse quasdam animaduertens, quas iam supra honorifice nominatus MARTINVS FOERSTER attigit, nemo vero alias ex professo exposuit, nolui, quae patriae debeo, deesse officiis. Proinde hos ipsos fontes medicatos, quibus benefica natura Saganensis et Glogouiensis ducatus confinia instruxit, vobis, lectors benevoli, in tantum curate descriptos fisto, in quantum omnia, quae huc faciunt, partim ex publicis, partim ex priuatatis amicorum relationibus rescire potui.

§. I.